



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 12. Est liberalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

plenitudo legis est dilectio: Spiritus loquitur mysteria, & amatoria planè loquitur. Did. de Castillo Jllat 48.

Florete flores Eccl. 39. 19. Petit, ut fructificent, & floreat. Et ubi tales fructus, ut simul ab eis flores peti possint? nam cum fructus adsunt, flores disparent. Talis est amor Dei: nequit otiosus esse; sed simul producit maturos fructus, & etiam aliorum operum flores. Præbet perfecta virtutum opera, & initia, velut flores; & alia præclara opera profecunda. Sylv. in Apoc. c. 2. q. 13.

Sedebo in monte testamenti. Jf. 14. 13. Qui sedere, & quiescere, tentavit, nomen Seraphim, id est, amantis, perdidit. Sylv. in Luc. I. cap. 6. q. 2.

Exultavit infans in utero. Luc. I. 44. Munus præcursoris, non clamore vocis; sed pedum tripudio, exhibet; officium officio compensat. Ingens amor nunquam invenit obstacula, ut se patefaciat: si unum non potest, aliud perficit. Sylv. addit. in Marc. & Luc. I.

Exultavit ad præsentiam Domini Salvatoris, quasi gestiens salutare: & assurgere jam incepit Domino suo, cujus erat Præcursor. Ex hoc datur intelligi, quod propositum sanctum non potest latere, quin se manifestet; & amor interior prorumpat in opus. S. Bonav. hic.

Ex quo intravit, non cessavit seculari pedes meos. Luc. 7. 45. Verum Dei amatorem describit, qui paucis amoris sui signis non contentus. Is verè Deum amat, qui nescit cessare ab amoris operibus. Bæza hic. §. 29. Ideo ungebat unguento pedes Domini, & innovabat opera novi cultus: quia novum hominem noverat; & variabat opera, nè velut otiosa pateretur ab eo repulsam: quia nec standum est otiosè ante divinos pedes; qui non quieverunt in opere nostræ salutis; sed per montes, & planities; per civitates & castella; per Maria, & deserta, fecere discursum; donec configerentur in cruce, ad expectandum omnem peccatricem animam. Sim. de Cass. l. 8.

Ad quaestionem Luc. 10. 27. *quid faciendo &c.* responsum: *Diliges.* Cur non addit, orabis, dabis elemosynam, jejunabis, & alia facies; quæ Dilecto Deo placere intellexeris. Ex 6. Mense anni am. Dei P. Nadasi c. 1.

Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Joan. 14. 23. Nescit feriari dilectio; in actione tota est, ubi Dilecti noverit veritatem: otio caret; acediam, & toedium, procul pellit; servat in memoria, servat in opere, quod de Dilecti pendet arbitrio &c. amarum in dulce vertit, qui veraciter diligit; difficile in facile trajicit. Sim. de Cass. l. 12. c. 4.

Ex Patribus.

Probatio dilectionis, exhibitio est operis. S. Greg. hom. 30. in Evang. Nunquam est Dei amor otiosus: operatur enim magna, si est; si verò operari renuit, amor non est. Id. ib. Caritas, quæ otiosa esse non potest, ubicunque est, se operibus ostendit. S. Bernard. tr. de Pass. Dom. c. 32.

Profecto sic res habet, ut cum quis hoc amore saucius fuerit, & in Deum desiderio suo tendit, nihil visibilibus videat; sed continuo eum, quem desiderat, imaginetur, & in nocte, & in die, & cubans, & surgens. S. Chrysost. in Gen. hem. 23.

Amor quiete fit inquietior. Jdiota c. 13.

Divina dilectio debet esse operativa per exclusionem omnis omissionis. S. Bonav. l. 116. de tempore.

Tertius gradus, in quo facit amor operari indefinenter. Supra hunc gradum anima propriè pedem ponit tripliciter: cum operatur magna, & reputat parva; operatur multa, & reputat pauca; operatur diu, & reputat breve: Et videntur *ei dies pauci præ amoris magnitudine. Gen. 29. 20.* Qui magnam habet charitatem, magnus est; qui modicam, modicus, qui nullam, nullus est. August. Pauca est charitas, quæ opera sua numerat ut multa pauca, quæ ponderat, ut magna, vel difficilia; brevis amor, qui mensurat, ut longa. Sed vos, qui tertium gradum calcatis, cum omnia benè feceritis, dicite, servi inutiles sumus. S. Thom. de 10 gr.

Est ignitus amor vis quædam, laboranti subministrans vires; otiosi non fines, neque permittens quiescere: aggrediens ardua, dura perferens; donec concupitæ rei delectatione fruatur. S. Laur. Just. l. de humil. c. 8. Qui divini amoris ardet incendiò, in bonis actibus semper occupare se cupit; nunc interius, nunc exercetur exterius. Otium abhorret summopere velut charitatis inimicum. Idem de triumph. ag. c. 27.

Inquieta res est amor, non contenta limitibus, nunquam dormitans, semper operans; semper moveatur, donec sedem reperiat propriam vilescunt ei omnia, quæ votis non concordant suis, ac de amoris fonte non exeunt. Id. f. in felto S. Andrea.

§. XII.

Amor est liberalis.

Unguento ungebat. Luc. 7. 17. Intima charitas in cordis alabastro recondita, effusa in pedes, ut totum amorem effundat in eum, qui totum nobis se contulit in salutem. Sim. de Cass. l. 8. c. 40.

Reliquis me solum ministrare. Luc. 10. 40. Quomodo se solum dicit Martha, cum habeat ancillas? quia Christum valde diligebat; & vi amoris, lautum illi parare convivium studebat: licet multis ancillis septa, se solum sine Magdalena putat. Qui enim multum diligit, licet multa habeat; si unum ei desit, sibi perivadat, omnium rerum esse expertem. Sylv. hic. q. 11.

Audiat, quid spiritus dicat Ecclesiis. Apoc. 2. 7. Initiò epistolæ locutus Christus; in fine spiritus Sanctus. Christus à Patre constitutus Index arguit hunc Episcopum, quia *charitatem tuam &c.* In fine epistolæ spiritus Sanctus amor promittit, & confert dona. *Vincenti dabo edere de ligno vite.* Sicut enim

enim ad sapientiam, & iudicem spectat arguere; ita proprium amoris est dare. Esth. 2. 17. *Adamavit eam rex &c. & posuit diademam regni &c.* Cum amarit plus quam omnes; plus quam omnibus ei dedit. Gen. 44. 1. *imple saccos eorum frumento, quantum possunt capere.* Oleast. hac est mensura, quam solet facere amor. Sylveira. hic. quæst. 13.

Deum diligere nullus modus, nulla mensura est, nisi hæc sola, ut ei totum exhibeas, quantum habes. Orig. in Cant. hom. 3.

Homo se totum dat per amorem; & dat tantum, quantum amat. Est igitur comprimis tunc datus Deo, quando summè amat ejus Bonitatem, S. Franc. Sales. l. 10. c. 3.

§. XII.

Amor caret Dei offensam, mundat, servat præcepta.

Quemadmodum desiderat cervus &c. Pl. 41. 2. Quid aliud est in cervo? Serpentes necat; & post serpentium interemtionem majore siti inardescit; peremptis serpentibus ad fontes acrids eunat. Serpentes vitia tua sunt: consume serpentes iniquitatis, tunc amplius desiderabis fontem veritatis. S. August. hic.

Facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestie sylva-ortus est sol, & congregati sunt. Pl. 103. 20. 22. Videas hominem, cujus cor, grassante nocte, innumeris tentationum & passionum monstris devastatur. Noli venabula querere; non jacula acue: cura, ut sol nascatur; & mox abacta monstra gaudebis. Sol amor in Deum est; amor Dei passionem omnes fugat catervatim, quos jejunia, vigilia, cilicia, vix carptim abigerent &c. Oliva l. 2. Stromat. hic.

Fortis ut mors dilectio. Cant. 8. 6. Bene fortis ut mors dilectio esse perhibetur: quia dum per dilectionem à vitiis mortificamur, quod mors agit in sensibus corporis, hac agit dilectio in cupiditatibus mentis. S. Greg. in Cant. hic. Sicut mors separat animam à corpore suo; sic, qui verè diligit, recedit ab omni eo, quod possit displicere dilecto. Magdalenæ ergo, quæ multum Dominum, dilexit, omnes carnis delicias dereliquit, & quidquid scire potuit esse contrarium Christo. Lucas de Arcon. in J. 2. Discursu 2. Sicut mors victos nunquam patitur rebellare; & cadavera exedit suis latebris condita; ita charitas jugulata à se vitia non sinit emergere; & pestes animi ita sepelit, ut obrutis nulla spes subit recuperandæ libertatis. Id causæ fuerit, cur Moyses non everterit vitulum; sed exussit, tritumque calcibus misceverit: ut hausto nulla spes superesset resumendæ figuræ damnatæ. Ex. 32. 20. Perit ita vitulus, ut Pharaon in aquis. Oliv. Dom. Paschæ.

Ocurret vobis homo lagenam aquæ bajulans. Marc. 14. 13. Bajulus aquæ amor Christianus est, atque virtutum. Bajulat aquæ mensuram, gratiam videlicet, amor; ut tan-

tum sit gratiæ pondus, quantus est ipse amor. Bajulat amor aquam abluitionis, & potus: nulla re melius, quam cum amoris aqua lavantur fœces; & malis caloribus æstuat potus refrigerium suscipit. Sim. de Cass. l. 13. c. 2.

Ignem venit mittere in terram. Luc. 12. 49. Vult ergo, ut ignis missus ardeat ad amorem, accendatur ad lumen, ardeat ad vitiis combustionem. Id. l. 9. c. 24. Venis, piissime JESU, tanquam agnus sanguine tuo terram mundaturus; tanquam agricola in cordibus mortalium gratiæ semina, felices virtutum plantas, positurus; & ignem minaris? S. Chrysost. l. 164. ager, quoties longâ incuriâ sylvestit, peritissimi cultoris utili semper operitur, & purgatur, incendiis; ac studio benigno cultor ignis apponitur, ut, exussis sentibus, reveletur prima facies campi, fiat facilis via vomeri. q. d. Si ligone infelices dumos conaretur prostertere, non solum tardius, & molestius, sed etiam infructuosius laboraret; at flammis, & incendiis, unius diei spatium, grandis ager operitur, & ipso cinere pinguescens in latam libertatem fecundatur. Idem est, si charitatis flammis sylvestenti cordi penitens immittas: longè enim fravius, & efficacius, ac fructuosius, rem perages. Ramirez Apoc. 2. Luc. 12.

Teneræ militiæ, delicati conflictus est, amore solò de cunctis criminibus reportare victoriam S. Chrysost. l. 94.

Ubi dominatur incendium charitatis, ibi vitiis rubigo consumpta est. S. Laurent. Just. de triumph. ag. c. 1.

Amans in fornace è pulvere vitium purum conficit. Lem. *Puro decor omnis ab igne est. Charitas operis multitudinem peccatorum.* 1. Petri 4. 8.

Testimonia.

Ex Veteri.

NE forte moriamur. Gen. 33. Oleaster hic. Noverat serpens, ut plurimum timore potius, quam amore, nos servare præcepta: cum enim suadere peccatum nobis nititur, non illi objicimus Præceptoris amorem; sed potius vindictæ timorem. Quis mihi daret, ut cum quis peccatum suaderet, responderes: diligo Deum meum super omnia; ideo nolo illum ullò modo offendere: qualiter respondisse novimus Sanctum Joseph impudicæ feminae adulterium suadenti. Ramirez ep. 4.

Timore mortis, non amore Dei creatoris, à peccando inhiberi video mulierem. Bonus quidem timor, sed multo præstantior amor; nè sine amore timeas, monet. S. Aug. Sanè innumera supperebant mulieri rationes, quibus ad amorem Dei creatoris accenderetur, atque ob amorem ab omni adversus Deum offensâ, culpæque, longissimè avocaretur. Dixisse debuerat serpenti: quomodo possum peccare in Deum meum; à quo sum tot, tantisque beneficiis cumulata. O si dixisset: Diligo Deum meum; ideo nec volo, nec deo, nec possum illum offendere. Sic statuo: si tam